



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De Maximo episcopo, variis criminibus in famato, & ad synodum sæpius
vocato, qui venire & se excusare neglexerat. clxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

moueatur. Si verò aliquando defuerit, subtrahens se restitu-
tuto in communione episcopo, ipse remoueatur à commu-
nione accusator: ita tamen ut nec ipsi adimatur facultas
causæ peragendæ, si se ad diem occurrere non noluisse, sed
non potuisse probauerit. Illud verò placuit, ut, cum agere
cœperit in episcoporū iudicio, si fuerit accusatoris perso-
na culpabilis, ad arguendum non admittatur, nisi proprias
causas non tamen ecclesiasticas afferere voluerit.

*De Maximo episcopo variis criminibus infamato, et ad
synodum sèpè vocato, qui venire et se excusare
neglexerat. Cap. CLXI.*

Bonifacius episcopus, Patroclo, Remigio, Maximo, Hi-
lario, Seuero, Juliano, Castorio, Leontio, Constanti-
no, Ioanni, Mótano, Marino, & cæteris episcopis per Gal-
lias, & per septem prouincias constitutis. Valentinæ nos
clericis ciuitatis adierunt, proponentes libellum & crimina
quæ Maximū tota prouincia afferit commisisse. Delegata
toties cognitione, illum constituta semper subterfugisse iu-
dicia, nec confusum conscientia festinasse, ut si esset inno-
cens exterminatis omniibus purgaretur: quæ toties decreta
*Ex epist.
Bonifacii
papæ, ad
episcopos
Gallie,*
ex nostrarū quoque chartarū instructione cognouimus.
Qui econtrario probauit de se illa quæ dicta sunt, quia ad
ea confutanda, quum essent innumera, à decessoribus meis
prouincialis est delegata cognitio. Conuentus etiam dici-
tur vitasse, & minimè adesse voluisse: & nullus dubitat quod
ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolu-
tatur qui est innocens querit: Sed astuta cauillatio eorum
qui versutis agendum credunt esse consiliis, nunquam in-
nocentia nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus,
quisquis se subterfugere iudiciū dilationibus putat. Veniet
tamen aliquando ille qui talis perhibetur in medium. Nec
prodest illi toties latuisse, toties subterfugisse, quem suī
actus, & commissa, quocunque fugerit, ea quæ obiiciuntur
illi, si vera sunt, crimina persequuntur. Debueram quidem
iam nunc dignam pro eius accusatis in nostro iudicio acti-
bus, qui cognitionem & decretum iudiciū sepè declinan-
do credidit illudendum, dare sententia. At ne aliquid præ-
coqui forsitan iudicaret, & sibi qui absens est, licet sit quæ-
situs à nobis, reseruatum esse nihil diceret, maluimus in-
tercedine temporis data differri, quum hoc etiam eius

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAC.

accusatores affererent. De cuius intentionibus & moribus sit secretum maximum , tanto magis damnanda committere, quanto tardius se constituto iudicio præsentaret. Quem manichæorum inuolutum caligine arguunt, turpique se&ta olim. Ita quum non posset abluere animum sordida improbatione , obie&taque ei gesta synodalia profrentes, & commissis inuolutum vndiq; flagitiis, nullum ei sanitatis habuisse respectum, quem furore suo & insana temeritate ad secularium quoque iudiciū tribunali subditum quæstioni , quod in vili quoque persona turpissimum est, obiicerent. Peruenisse eum ad homicidij damna afferunt, gestis prolati in medium. Et hunc talem post tanta talique commissa , episcopatus adhuc sibi nomen in suis latibulis vendicare, in propriè ciuitatis infamiam, nimiis doloribus conqueruntur , & sanctum nomen vendicando sibi velle polluere. Ideoque fratres charissimi, quia audiendus hic præsentare se noluit, nec conuictus forsitan ab accusantibus se defendere poscit : digna tandem aliquando præsentatus episcopali iudicio pronunciationis congruè feriri sententia iudicamus. Quamquam illi quum edicta fuerint, sciamus huius nominis non esse iacturam , qui pudorem nunquam habuisse facerotij perhibetur , & locum suum nec modico quidem tempore custodisse, dilationem dedimus , & decreuimus vestram debere intra prouinciam esse iudicium, & congregare synodum ante diem Calendarum Nouembrium , vt si adesse voluerit præsens , si confidit ad obiecta respondeat : si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato iudicio, purgandi se occasione non vtitur. Nihil enim interest, vtrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur: quum ipsa quoque pro cōfessione procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes prouincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, vt ad prouinciam venire cogatur , & illic se constituto præsentare iudicio . Quicquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum , quum ad nos relatum fuerit nostra, vt condecet, necesse est autoritate firmetur.

De episcopo inculpato qui ad synodum vocatus, venire contempserat. Cap. CXII.